

AUGUSTALIA,

Reverendissimo, Celsissimo & Illustrissimo
DOMINO,

DN. AUGUSTO,

Primate Germaniæ, Postulato Archi-Episcopatus Magde-
burgici Administratori,Duci Saxonie, Julie, Clivie ac Montium, Landgrafio Thuringie,
Marchioni Misnie ac utriusq; Lusatie, Comiti in Marca,
Ravensburgo & Barby, Dynastæ Ra-
vensteinii,Domino ac Nutricio Suo Clementissimo,
Sacra,

Ad Iduum August. Natalem LIII.

votis gaudiisq; publicis solvenda,
omnibus & singulis

Illustris Collegii membris,

cæterisq; Patris, Patrieque; amantibus,
subgerit.

Sermone panegyricò

*celebraturus*AUGUSTEI AD SALAM
RECTOR.

LEUCOPETRÆ,

Literis HILDEBRANDIANIS.





AUGUSTALIA vocamus redeuntis in orbem *Natalis* Serenissimi memoriam, cuius mora nobis, qui provisionibus atque consiliis, tutelæ ac curis *Celsissimi Principis* vitam, salutem, securitatem & statum referimus acceptum, ingens sui desiderium, redox factus immensum concitat gaudium. Neque enim aut leviori exspectatione, aut minori studio, aut congratulatione minus decenti, *Natalis*, salvò & incolumi *Augustò Nostro*, iteratio & adpellanda & celebranda nobis venit, quàm *Quiritibus Sui* in urbem reditus *Augusti*. Unus amor in bonum *Principem*, qui diligi à suis quàm metui mavult, unum desiderium, unum, idque incredibile, gaudium utrisque elicere valet, & qui opperiantur aliunde reducem atque incolumem *Augustum*, & qui experiuntur toties jamque feliciter revolutam, eamque salutarem, præsentis & salvi ætatem. *Ob reditum Augusti Imperatoris*, inquit *Dio Cassius Hist. Rom. l. 53. ac propter ea, quæ absens egisset, multa ac varia in honorem ejus decreta sunt; quorum ille nihil accepit, nisi quod Fortunæ Reduci, τὴν χη ἐπ' ἀναγωγῶν, aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri, & Augustalia dici passus est.* Pro meritis ita dilectum facile æstimat *Suetonius, cap. 57.* ut juxta alia, non revertentem modò ex provinciâ faustis ominibus modulatisque, carminibus prosequerentur, sed & quotannis ex voto pro salute ejus stirpem in Lacum Curtii projicerent omnes Ordines, *Natalemque* ejus sponte atque consensu, biduo semper celebrarent *Equites Romani*. Depromens ejus generis carmen *Horatius Ode 5. lib. 4.* non blanditur, sed historiam refert, Augustum promissi sui admonet, & pro maturo reditu humillimò precatu interpellat, non omissis tantæ exspectationis causis, pace publicâ, rerum omnium abundantia, vitæ honestate & ab externis bellis securitate, quarum egregia ponuntur symbola, *tutus Bos* rura perambulans, *Nutrix Ceres*, *Almaque Faustitas*, *Mos & Lex*, *Pena Comes Culpæ*, altera *vizium cultura* & inde lætus ad vina reditus. Quæquam primum *Bovis Aratoris* symbolum, unum instar omnium esse posset, ut quidam nummi veteres innuere videntur, quorum unâ parte simulacrum Apollinis, sub cuius tutela Augustus; alterâ *Vir Arans* cum hac inscriptione: *Imper. Cæs. Viri enim Arantis* schemate, aut *Bovis*, qui etiam Agricola est, & humano generi laborum socius, felicissimè exprimitur & publica tranquillitas, & legum vigor, & fertilitas terræ omniumque propemodum rerum abundantia: cum unò ex his desperatò aut labefactatò nemo tutò agrum colere gestiat.

O quàm bonum omen, ut cum Veteribus loquar, Deus sternutavit, quamque suaviter Nascenti Tibi risit, *Auguste, Primas Germaniæ Reverendissime, Dux Saxonie Celsissime, Princeps Gratosissime*, quem patriæ amantem Cives tui amant! quem bono Natum publico votis, omnibus & precibus prosequuntur! Ita enim facillimè obtinebitur, ut neque Cives sui Principis, neque Principem suorum Civium poeniteat unquam, aut tædeat. Agnoscimus lubentissimè, *Per Te, Principam Optime*, quò crebrior de cælo redit *Natalis Tuus*, redire magis agris cultum, sacris honorem, securitatem hominibus, certam cuique rerum suarum possessionem, restitui vim legibus, emendari veteres utilius, ferri novas salubrius. **TE** omnes tam supra nos esse, quàm pro nobis scimus, *Curamque Tuam* excubare pro salute

salute singulorum atq; universorum quotidiè experimur. Seqvi indè, quæ
Clementiam Regis aut *Principis* solent, quæq; adfert *Seneca lib. 1. de Clementia, c. 3.*
 quis non videt? *TE* prodeunte, non, tanquam malum aliquod aut noxium,
 animal è cubili profiliret, diffugimus, sed tanquam ad clarum ac beneficum si-
 dus certatim advolamus. Objicere se quisq; pro *Tua Salute* mucronibus infi-
 dantium, & substernere corpora sua paratissimi *somnum Tuum* nocturnis excu-
 biis muniunt, latera objecti circumfusiq; defendunt, incurrentibus periculis se
 opponunt. Nondum posterì à Majorum virtute degeneravimus, quibus, me-
 morante *Tacitò c. 14. Germ. infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Prin-*
cipi suo ex acie recessisse; illum defendere, tueri, sua quoq; fortia facta gloriæ ejus
 adsignare, præcipuum erat sacramentum: nisi quòd bellorum cruentæq; victo-
 riæ pertæsi, longè gratiores nobis quietem animumq; pacatum *Duci nostro* sub-
 indè gratulati, fidem ac fortitudinem togatam, quàm sagatam, probare, & inter
 liberalia otia negotiaq;, quàm ancipitia, clarescere malimus. Nec verò aliâ
 re æquè moti *Quirites* vitam Imperatori optimo, *Augusto*, suâ neglectâ, preca-
 bantur, quàm quòd finitis bellis civilibus, sepultis externis, sopitò ubiq; armo-
 rum furore, pacem revocasset. Nihil enim frequentius in *Augusti* nummis &
 statuis, quàm hæc formula: *Terrâ mariq;, pace partâ;* aut: *S. P. Q. R. Augusto Pa-*
renti, Conservatori suo. Nullus etiam dubito, fore plerosq; nostrum, qui idem
Prinati Germania, Duci Saxonie, Augusto, Parenti, Conservatori suo dare, omisâ tamen
 superstitione, sustineant, quod nonnulli *Patrum familiarum Cesari suo* fecisse *Sveto-*
nius refert. Testamentò nempe caverunt, ut ab hæredibus suis, prælatò victi-
 mæ titulò, in Capitolium ducerentur, votumq; pro se solveretur, *Quod Supersti-*
tem Augustum Reliquissent. Nam *Principem Pacis, Concordiæ & Clementiæ* tenacem ita
 amari fas est: & parum abest, quin adficiat injuriâ, qui vota pro vita Principi
 proroganda Deo à suis vel post fata sua solvi minus aduret. Pulcherrima
 quæq; urbs, domibus & tectis & congestu lapidum stat, quæ muta & inanima
 intercidere ac reparari promiscuè possunt. Quemvis etiam mortalium ante
 diem mori non magis mirum aut novum est, quàm nasci; neq; sibi, Parentibus,
 marito, uxori, liberis, vicinis eripi, quàm à superstite mortui partes excipi.
 At verò *Principis Optimi* diversa fors, cujus incolumitate & vitâ longævâ felici-
 tas rerum, & pax gentium, & nostra omnium salus firmatur. Senior quamvis
 decedat ac grandis, nondum maturè tamen videbitur mori. Ut vixerit mul-
 tum, non satis vixisse credetur, quâ potuit prodesse. Optimi licet succedant;
 interrumpetur tamen semper aliquid optimi: intercapedo ipsa & mora, dum
 transit imperium, deputatur in damno, molesta certè est. Quod nostri igitur
 commodi æquè ac muneris, haud amplius, facimus, dum *Augusti* bonitatem
 coepam à *Witekindo Magno*, vetustissimo Saxonum aut Rege aut Duce, per tot
Heroum Maximorum stemmata incorruptâ nobilitate decurrentem, & à Parente
 Gloriosissimæ memoriæ *Johanne Georgio I. Electore Saxonie Piò, Felici, Magnanimò,*
Constanti, Matreq; , Virtutis eminentissimæ Principe, Magdalenâ Sibyllâ Branden-
burgicâ, seculo nostro datam, ut accepimus, sic, quantum quidem in precibus no-
 stris est, posteris tradere adnitimur. Habent hîc, quod *Natali Illustrissimo*, un-
 de tot pacis & felicitatis scaturiunt rivi, adplaudant, & ut robustior quotannis
 fœcundiorq; in *Domum Familiamq; Augustissimam*, in nos teramq; posteritatem
 redundet, adprecentur, *Agricultura, Resq; tum Publica, tum Literaria.* Invenit
Tityrus, Virgiliani æmulus, quod *Augusto suo* tribuat: *ô Melibœe, DEUS nobis hæc*
otia fecit; namq; erit ille mihi semper DEUS. Ille meas errare boves, ut cernis, & ipsum
Ludere,

FXa 4311
Ludere, quæ vellem, calamò permisit agresti. Est, quod in plateis plebs, quod in curia Senatus Conservatori suo deferant, Romanorum more apud Svetonium in Octavio, vel adclamatione, vel per Messallam quempianu: Quod bonum faustumq; sit Tibi, Domuiq; Tuæ, Princeps Auguste; (sic enim nos perpetuam felicitatem Reip. & læta huic precari existimamus) Senatus TE consentiens cum populo consalutat Patriæ Patrem! Sed nec Literarum Liberaliumq; Artium Præsides ac Cultores in hanc rem conferre nihil existimandi sunt: & errant prorsus, teste Senecâ, epist. 73. qui putant Philosophiæ (Sapientiæ cum divinæ tum humanæ) fideliter deditos contumaces esse ac refractarios & contemtores Magistratum ac Regum, eorumvè, per quos publica administrantur. E contrario nulli adversus illos gratiores sunt: quòd nullis præstant plus, quàm quibus tranquillò frui otio licet. Hoc docet Philosophia (Sapientia utraq;) præcipuè, benè debere beneficia, benè solvere. Interdum autem solutio est ipsa confessio. Confitebitur ergò multum se debere ei, cuius Administratione ac Providentiâ contigit illi pingve otium & arbitrium sui temporis, & imperturbata publicis occupationibus quies.

Tantam experior omnium expectationem excipiendi Natalis, ut omnis moræ impatientes & Senes & Viri & Juvenes Adventum ejus longè gratissimum sollicitè anquirant. Temperare sibi nequeunt, quò minus Venusini ominis carminisq; dulcedine abrepti maturum Iduum reditum intempestivè postulant, Augustumq; suum sollicitent audacius: Lucem redde Tuam, Dux Bone, Patriæ! Custos gentis abest jam nimium diu. Divis orte bonis, Optime Principum, Idus redde diutius. Instar verè enim lux quoties tua Affulget populo, gratior it dies, Pax, Lex, atq; Ceres, almaq; Faustitas Nusquam non melius nitent. Sed sistite gradum paulisper, Philomusi, adnuit, qui Natalem Augusto nostro, Serenissimæ familiæ, nobis omnibus felicem reducat, **DIESPITER**, adsunt, adsunt, quæ metum vobis adimant, atq; expleant animum gaudiò, **IDUS**. Augustum Luce suâ coruscum, nolentem nobis ullum commodum in se claudier, videre janu mihi videor, atq; ex eo audire suavissimam Augusti Imperatoris vocem: Compos factus votorum meorum, Cives, quid habeo aliud **DEUM** Immortalem precari, quàm ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre, salvamq; ac sospitem Republicam sistere in suâ sede liceat? ô divinum solatium, Auguste! **DEUS TE** Terris diu commodet! acta Cæsaris Augusti & annos vincas, ac quamdiu mortalis eris, nihil ex Domo Tuâ mortale esse sentias! Sidus Tuum, quod præcipitato in profundum ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat! Longas ô utinam, Lux bona, ferias præstes Leucopetræ, dicimus annuò Læti manè die, dicimus anxii, cum Sal Oceano subest. Votum id bonaq; verba & me, finitâ, in eam rem habendâ, Concione sacrâ, solenniter dicturum, humillimò in Nutricium Meum Optimum animò recipio lætorq;. **P. P. LEUCOPETRÆ**, quæ post grave integri seculi silentium amissumq; Hantschium, novâ Typographi operâ **Gloriam DEO** iterum molitur laudesq; sui seculi Augusto; Iphis Calendis August. propriidiè Onomasteriorum Augustorum. clò lœc LXVI.





AUGUSTA

Reverendissimo, Celsissimo & Illustri
DOMINO,

DN. AUGUSTINO

Primate Germaniæ, Postulato Archiepiscopali
burgici Administrationis

Duci Saxoniarum, Juliarum, Cliviarum ac Montium
Marchioni Misniam ac utriusque Lusaticarum
Ravensburgi & Barby, Duxensteini,


Domino ac Nutricio suo Celsissimo
Sacra,

Ad Iduum Augusti. Natusque
votis gaudiisque, publicis sed etiam
omnibus & singulis
Illustris Collegii mei
cæterisque Patris, Patriarumque
subgerit.

Sermone panegyrico
celebraturus

AUGUSTEIA
RECTOR

LEUCOPETRA
Literis HILDEBRANDI




Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Faint bleed-through text from the reverse side of the page.